

clesia beati Nicholai Stocholmis diocesis Vpsalensis pie fundare disposuit, deputatis prediis infrascriptis pro sustentacione presbyteri seruituri in dicta prebenda et pro oneribus aliis sustinendis, videlicet tredecim oras terre cum quibusdam predioliis, dictis wrfiællum, in villa et parochia Hamærby, item septem solidos terre in villa Wik, parochie Hamærby predicte, prouincie Walendæhundæræ, sitis, necnon tredecim solidos terre in villa Bøgh, parochie Solundatunum, prouincie Solundahundæræ, diocesis Vpsalensis, situatos, prout in quibusdam aliis litteris super hoc confectis plenius poterit apparere. Dictus vero Conradus Arxø de medio sublatus, sicut Deo placuit, ad predicte prebende consumacionem et confirmationem operam dare non potuit nec laborem, idcirco nos Folquinus Arxø, dicti Conradi filius, et Symon Schelhorn, ciues Stocholmenses, tam coheredum nostorum quam proprio nomine deuotam ipsius Conradi voluntatem inmitari cupientes, venerabili in Christo patri ac domino nostro, domino Hemmingho, diuina miseratione archiepiscopo Vpsalensi, predia premissa cum eorum augmento et accrescenciis, si Deo dante aliquas fieri contingat, humiliter offerimus, rogantes instanciis, quibus possumus, vt prebendam in ecclesia beati Nicholai Stocholmis creare velit et predia premissa pro dotacione ipsius prebende, pro sustentacione presbyteri, ibidem pro tempore seruituri, paterna affectione acceptare. In quorum omnium evidenciam et maiorem certitudinem sigilla nostra presentibus duximus appendenda. Datum et actum in curia dicti domini archiepiscopi Vpsalensis Arnø anno Domini m°ccc° quinquagesimo vicesima sexta die mensis Octobris.

På baksidan: restitucio huius prebende per heredes Conradi Arxø de XIII oris et vrifiellom in Hamarby et VII sol. in villa Viik et XIII sol. in Bøgh.

Sigillen borta.

4632.

1350 Okt. 26.

Arnö.

Ärkebiskop Hemming i Upsala upprättar ånyo på Folkvin Arxös och Simon Skelhorns anhållan ett prebende vid Storkyrkan i Stockholm och nämner på deras förslag till dess innehafvare Johan Ludolfsson, skrifvare kallad.

Orig. på perg. i Sv. Riksark.

Vniuersis presentes litteras inspecturis Hemmingus, miseratione diuina archiepiscopus Vpsalensis, salutem in Domino sempiternam. Eo tempore quo viuebat vir discretus Conradus Arxø, quondam ciuis Stokholmensis bone memorie, sanus existens, disposuit fundare quandam prebendam ob sue et suorum animarum remedium in ecclesia parochiali beati Nicholai Stokholmis, nostre diocesis, et quantum potuit in vita sua ad fundacionem eiusdem prebende processit acquirendo pro sustentacione presbyteri, seruituri in dicta prebenda, et oneribus aliis sustinendis predia infrascripta, videlicet tredecim oras terre cum quibusdam predioliis, dictis wrfiællum, in villa et parochia Hamarby, item septem solidos terre in villa Wiik, parochie Hamarby predicte, prouincie Walændæhundaræ, sitos, necnon tredecim solidos terre in villa Bøgh, parochie Solændætunum, prouincie

Solændæhundaræ, nostre diocesis, situatos, prout in quibusdam aliis litteris super hoc confectis plenius poterit apparere. Que quidem predia heredes dicti Conradi post eius obitum cuidam presbytero, domino Jacobo Andree felicis recordacionis sub titulo prebende juxta voluntatem prenotati Conradi sub ratihabacione domini archiepiscopi Vpsalensis, qui tunc erat seu qui in posterum veniret, prout nobis datum est intelligi, assignarunt. Mortuo vero postmodum post aliquot annos domino Jacobo prefato, venerunt ad nos propter hoc versus manerium nostrum Arnø sub anno Domini millesimo ccc° quinquagesimo vicesima sexta die mensis Octobris nomine suo et coheredum suorum omnium viri discreti Folquinus Arxø, filius dicti Conradi Arxø, et Symon Skelhorn, ciues Stokholmenses, petentes, vt de prediis suprascriptis cum eorum augmentatione et accrescenciis, si Deo dante aliquas fieri contingat, prebendam juxta prefati Conradi arbitrium, de quo supra facta est mencio, crearemus. Nos igitur Henningus, archiepiscopus Vpsalensis memoratus, deuocationem antedicti Conradi et heredum predictorum merito collaudantes et benigne acceptantes, prebendam in ecclesia beati Nicholai Stokholmis de nouo creamus et predia pro ipsius dotacione, per eosdem heredes nobis humiliter oblata, pro sustentacione presbyteri pro tempore ibidem seruientis et onerum incumbencium acceptamus et ad eorundem Folquini Arxø necnon Symonis Skelhorn ac coheredum omnium presentacionem dilecto filio Johanni Ludholfi, dicto Scriwæræ, presenti et consencienti de eadem prebenda auctoritate ordinaria prouidemus eumque de eadem per nostrum annulum inuestimus, mandantes eidem et suis successoribus in perpetuum et episcopaliter constituentes, vt singulis septimanis duas missas et semel vigilias pro sue prebende fundatoribus dicere teneantur. Ordinamus insuper, quod heredes dicti Conradi infra regnum Suechie manentes, cum dictam prebendam vacare contigerit, tres personas successiue, excepto prefato Johanni Ludholfi, cui nunc de eadem prouideramus, possint ex hac nostra concessione et consensu et debeant presentare, ita quod post has trium personarum presentaciones absque requisitione cuiuscumque hanc prebendam archiepiscopus Vpsalensis, protunc existens, conferat, cui velit. Quocirca vniuersis ac singulis villicis et colonis ac aliis quibusuis eiusdem prebende predia seu possessiones quascumque tenentibus districte precipimus et mandamus, quatenus eidem Johanni Ludholfi tamquam vero suo domino de cetero reuerenciam et obedientiam debitas exhibeant ac de premissis omnibus et singulis humiliiter et deuote respondeant et intendant. Actum et datum in domo habitacionis nostre, dicti manerii nostri Arnø, anno, die et mense, quibus supra. In quorum omnium euidentiam et certitudinem firmiorem sigillum nostrum maius presentibus est appensum.

På baksidan: fundacio prebende in ecclesia sancti Nicholai Stokholmis per Conradum Arxø et suos.

Sigillet, fragmentariskt: SIGILL .: HEMINGI D . . . . . ALEN . (Sv. Sig. fr. Medelt. I, 2, 186).